

lofophorum calculo probatur. E. & consequens. Con-
sequentia stabilitur exinde, siquidem plures si essent Dii,
plura darentur infinita, quod absurdum esse quilibet me-
tacente intelligit. E. absurdum etiam erit plures esse Deos.
Plura verò infinita non dari probatur exinde, quia si plura
essent infinita, haud dubiè à se invicem distinguerentur, &
quod in uno esset, illud non esset in altero. Si igitur unum
eorum in se non contineret aliquid, quod tantum esset in
altero, unum eorum non esset infinitum, quia non conti-
neret omnes perfectiones. Non enim contineret eam,
quæ est in altero, & per quam alterum ab hoc distinguitur.
At verò absurdum est infinitum non esse infinitum. Ita
hanc rem solidè diduxit *Amplissimus atque Excellentissi-
mus Dn Bechman/ Patronus atque Præceptor noster omni re-
verentia observandus in Colleg. Metaphys. part. special. cap. X.
de Unitate DEI.*

XXI. Sed aures nobis vellicare videtur Conradus Vor-
stius Theologus Leidensis, dum nimirum *lib. de Deo & at-
tributis pag. 234.* impiè Enti illi nobilissimo infinitatem
denegaturus, hæc promit: *Neq. DEUS actu simpliciter infini-
tus est, neq. essendo, neq. operando: tamen si respectu nostri sic di-
citur utrumq. p. 235. Verum quidem est DEUM omnia in omni-
bus operari, & nos ipso vivere & moveri &c. non tamen sequi-
tur, Deum immediatè illic sua substantia adesse, ubicunq. opera-
tur, quia per causas medias, sive physisas sive hyperphysicas, pu-
ta, Angelos &c. operari potest, ut Rex aliquis per suos ministros.*
Et paulò post ib. *Apparet ex dictis saltem incertum & dubiè
esse, quòd vulgò de substantiali DEI immensitate dicitur: cum
non satis apodicticè thesis hætenus probata sit.* Protestatur
quidem Conradus Vorstius p. 238. se hæc non definiendi, sed
inquirendi animo attulisse, interim tamen quia ipse non
vult definire, quod omnes orthodoxi definiverunt, palàm
nostram